



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Cautela Confessarii Pro Foro Sacramentali Occasione  
Decretorum S. M. Alex. VII. Innoc. XI. Et Alexandri VIII. ...**

**Matthaeucci, Augustín**

**Francofurti Ad Moenum, 1711**

§. X. Contractus dotalis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40684**

tione inter vivos, in qua alter locupletior, & alter pauperior efficitur, ut expressè tex. in cap. *Donatio de donationibus inter vir. & uxor.* ibi: *firmitatem non habet, nisi donatoris obitu confirmetur; qua tamen penitus evanescit, si revocetur ab eorum, vel expressè, vel qui donatum accepit, prius debitum natura persolvat;* Ratio prohibitionis est, quia aliàs conjugati, mutuo, ac ex eo amore se amantes se invicem expoliarent bonis, & ubi elanguisset amor, ad extremam paupertatem redigerentur. Caterùm donatio inter virum, & uxorem causa mortis facta subsistit, quia in hac non militat adducta ratio; & ejus effectus confertur (dominium nimirum, & rei possessio) in id tempus, in quo conjuges esse desinant. Neque in prohibitione comprehenditur donatio remuneratoria, cum hæc sit merces accepti beneficii, & non liberalis concessio.

Dixi, post matrimonium unitos quia donatio ante illud, aut nuptias facta subsistit per tradita à Gonzalez in 4. tit. 20. cap. 8. de donat.

## §. X.

*Contractus dotalis.*

§3. **Q**uæritur, quid sit contractus dotalis?

Resp. Est contractus, quo certa bona à muliere, vel ejus nomine ab aliis dantur marito, ut onera matrimonii ferre valeat. Proprietas dotis est apud uxorem, usus autem, quamdiù matrimonium stat, apud virum; propterea, marito

invito, nequit uxor de fructibus dotalibus disponere.

54. **P**etit, An Parentes in conscientia teneantur de tempore suis filiabus dare?

Resp. Affirmativè; nam parentes ex virtute pietatis tenentur liberis de victu providere. Dos autem vice alimentorum constituitur; ad quæ præbenda tenetur mater, si Pater sit impotens; immò & frater compellendus est ad sororem dotandam in defectum Patris, & Matris; quod non modò exigitur ab ordine charitatis, verùm & rectè colligitur ex *l. Qui filium, ff. ubi pupilli educari.* Itaque frater tenetur præstare alimenta sorori his indigenti, ergo, & eam dotare; nam dos in locum alimentorum succedit; & præsertim procedit de sorore ex eodem Patre nata; & extenditur ad sororem uterinam, quando frater sit hæres Matris vel Patris ipsius sororis, quia tunc representat personam defuncti, & ejus onera sustinet.

## §. XI.

*Contractus promissionis.*

§5. **Q**uæritur, quid sit promissio?

Resp. Est contractus, quo quis ex mera sua liberalitate, & cum animo se obligandi, aliquid alteri pollicetur. Differt à pacto, quia pactum utriusque paciscentis consensum requirit; & à contractibus onerosis, cum sit omnino gratuita.

56. **P**etit, an promissio obliget promittentem sub gravi peccati pena?

Resp. Affirmativè, si quatuor hæc concurrant. Primum, si res promissa sit